









1734, 16<sup>a</sup>

DISSERTATIO IVRIDICA PRIOR  
DE

199  
IVRE NARIVM  
ET POENA AMPVTATIONIS  
AC SCAPELLATIONIS NASI,

PRAESIDE

GVSTAVO HENRICO MYLIO,

ICTO, CVRIAE PROVINC. SVPR. ET FACVLT.  
IVR. LIPS. ASSESSORE,

PARENTE OPTIMO,

PRO

GRADV DOCTORIS IN IVRE  
OBTINENDO

DISPVTABIT

GVSTAVVS HENRICVS MYLIVS,

LIPSIENSIS,

AD DIEM XXX. DECEMBR. M DCC XXXIV.

H. L. Q. C.

LIPSIAE

LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMIL.

*Tit. G. D. Klauy*





DISSERTATIO IURIDICA PRIMA  
DE

IURE NARRATIVUM  
ET POENA AMPLIATIONIS  
AC MORTIFICATIONIS

---

PARTIS

PRIMA  
DE IURE NARRATIVUM  
ET POENA AMPLIATIONIS  
AC MORTIFICATIONIS

PARTIS OPTIMA

GRADU DOCTORIS IN IURE  
OBTINENDO

AVGVSTVS HENRICVS VISMILLERVS

AD DIEM XXXI DECEMBRIS MDCCCLXXV

---

LEIPZIGI

*Handwritten signatures and initials in brown ink.*





V I R O  
MAGNIFICO. SVMME. REVERENDO  
EXCELLENTISSIMO  
D O M I N O  
GODOFREDO. GVILIELMO  
KVSTNERO  
ICto  
POTENTISSIMO. POLONIARVM. REGI  
ET. ELECTORI. SAXONIAE. A. PROVO-  
CATIONVM. CONSILII  
SVPREMAE. CVRIAE. PROVINCIALIS  
ET  
SCABINATVS. LIPSIENSIS  
ASSESSORI  
CAPITVLI. WVRZENSIS. CANONICO  
SENATVSQVE. LIPSIENSIS  
SYNDICO  
PATRONO. ATQVE. AVVNCVLO  
RELIGIOSE. VENERANDO



NEC. NON

V I R O

EXCELLENTISSIMO. CONSVLTISSIMO  
AMPLISSIMO

D O M I N O

ADOLPHO. HENRICO  
MYLIO

I. V. D.

SVPREMAE. CVRIAE. PROVINCIALIS  
ADVOCATO. ORDINARIO  
CAVSSARVM. PATRONO  
PRVDENTISSIMO

PATRONO. AC. PATRVO

OMNI. HONORIS. ET. PIETATIS

CVLTV

PROSEQVENDO



VT  
EXTET  
ANIMI. PII. ET. GRATI  
OB  
TOT. TANTAQVE. BENEVOLENTIAE  
GENERA  
SIBI  
HACTENV. EXHIBITA  
DOCUMENTVM. PVBLICVM  
SPECIMEN. HOC  
INAVGVRALE  
DEDICATVM. SACRATVMQVE. ESSE  
IVBET



FELICITATEM. OMNIGENAM

APPRECATVR

SIMVL

SE. SVAQVE. STVDIA

DEVOTE

COMMENDAT

GVSTAVVS. HENRICVS. MYLIVS.





§. I.

**C**um admiranda omnino sit Corporis humani machina, atque eorum omnium, quibus singula cohaerent, diuina prorsus Conspiratione deprehendatur, haud absurde factum ab iis arbitror, qui semetipfos excutiendo omnes animi sui Cogitationes ad explicandam eius fabricam, tanquam ad signum Phidiae absolutissimum intenderunt. Quemadmodum autem in discolorum ac vario rerum usu necessum est versari mortales, ita quoque oppido dispari Minerua instituti rationem executi sunt optimi Auctores. Quum enim, quod placet Philosophis, duplex rerum Contemplatio, *physica* et *moralis* haberi queat, fieri profecto aliter non potuit, quin natura duce et magistra in diuersa concederent, diuersoque sine proposito, iam naturalem corporis humani, artuumque singulorum compagem, iam affectiones illius morales, membrorumque respectu iuris et Legum relationes varias, varie ac copiose exponerent. Illud Physicorum ingenium exer-



citavit, hoc Iurisperitorum industria nobilitatum. Nos legitimo tramite progrediendo atque de egregio NASI decoramento, quem prae reliquis homini tantum altiorrem contigisse ait PLINIVS (a) eiusdemque quoad iura et Leges accuratiore *Exegesi*, et habitu commentaturi, non eorum in praesenti delectum habebimus, qui de *NASI constitutione physica, temperamento, figura, colore, consistentia, cavitare, situ, notione, passione, columna, pinnis, vibrissis, ossè cribriformi, excrescentia, haemorrhagia, sternutamento, muco, stillicidio, polypo, ozaena, amissione* etiam, et ipsa, si Diis placet, *restitutione* differuerunt, (b) sed potius Medicorum filii has delicias relinquimus, conspectum tamen eorum, qui tantum non eadem, qua nos, ratione commoti, aliarum

- (a) in *Hist. Natur. Lib. XI. cap. 37.* adde, quae de Decore Nasi ad ornamentum faciei facti in Anatomia BARTHOLINIANA Lib. III. Cap. X. n. 6. p. 360. leguntur, nec non CASP. BARTHOLINI Syntagma de Inauribus veterum, cui Mantissa ex Thomae Bartholini miscellaneis Medicis de annulis NARIUM adiecta, Amstel. 1676. impressum.
- (b) GEORGIVS FRANCVS in Academia Heidelbergensi, et tandem Vitembergenfi, Professor celebris anno 1679. peculiari Dissertatione exhibuit NASVM, et IOH. FRIED. FLATO de *Narium Fabrica, Usu, et morbis, Lugd. Bat. 1720.* Specimen Inaugurale edidit. Neque lectu, aut aspectu iniuncta Dissertatio, quam Professor Halensis, DN. MICHAEL ALBERTI de *Excrescentia Nasi cum Haemorrhoidum anomalis connexa* conscripsit, et figura *Nasi* grandioris aeri incisa exornavit anno 1729. Ingens autem Artificium, quod circa narium constructionem elucet, pluribus prosequutus est CASPARVS BARTHOLINVS, in *Disquisitione Anatomica de Olfactus Organo*, et, quem ille citat, CASSERIVS de *Fabrica Nasi, Lib. III. cap. 16.* quibus tandem iungenda sunt, quae de *nasis insitiis*, et Chirurgorum circa eos renascentes infelici anfu congesta sunt apud GARMANNVM de *Miraculis mortuorum L. I. T. 2. in RYCKERTS Wundergeschichte Cent. 1. n. 61.* apud HELLMOND in *Operibus Medicis §. 23. p. 707.*



aliarum corporis humani partium *διὰ τὴν βίαν* *νομῶς* in lucem prodire voluerunt, paucis dabimus. (c) Cum igitur ex opimo litteratissimorum hominum prouentu deprehendere liceret neminem, qui, quoad nobis comperisse datum est, singulari opera institutum nostrum occupasset, digna res videri coepit, quae publica *ἑρῆσι* altius repeteretur. Equidem non ignorabamus arctissimum illud Narium auriumque commercium, et fere communem in Iudicio poenali societatem, quarum vtriusque ratio coniunctim a nobis habenda videbatur; sed statim mutauimus animi sententiam, quam primum in mentem venerat recordari, nos haud Commentarium, sed dissertationem scribere aggressos esse. Quare etiam quidquid *Nasorum* tulit antiquitas, et adhuc fert aetas nostra, *simos*, *gryphos*, *aduncos*, *ἑνωμαστικῶν* iuxta ac *ἑνωστικῶν ποικίλων*, de quibus longa apud POLEMONEM, ADAMANTIVM, et MELAMPODA fabularum series habetur, vt et suauissima ARTEMIDORII DALDIANI et ACHMETIS SERCIMI de Naso somnia, quaeque huc ab aliis liberali manu congesta sunt, consulto refecimus, cum verendum sit, ne, quae nobis oleant, aliis fortasse pituita maxime et *ἀνοσφύγησιν* laboranti-

A 3

- (c) Extant IOH. SIBRANDI de *Capite*, Rostochii 1683. ADR. BEIERI de *Manu, eiusdemque Iure*, lenae 1668. DN. CHRIST. LVD. CRELLII de *Iure Manuum et poenis in Iudicio Criminali Germanico, imprimis, amputatione*, Lips. 1724. CHR. WILDVOGELII de *Iure Manus dextrae*, lenae 1700. DN. de EINSIEDEL de *Iure Digitorum*, Lips. 1715. IOH. CHR. SALLIGII de *Eo, quod iustum est circa Oculos*, Lips. 1724. IOH. GOTTLIEB SIEGELII de *Iure Pedum*, Lips. 1726. academiae disquisitiones, et quae reliquis fere omnibus palmam fecisse dubiam videri possunt SAMVELIS STRYCKII de *Iure Sensuum* Decem Dissertationes, quae deinde in Libellum iustae molis coaluerunt. Francof. ad Oderam 1685.



rantibus tanquam ἐδὲν πρὸς τ' αἰθήρα fordeant ac nauseentur.

## §. II.

Ante tamen, quam ad *σπευδαιότερα* nos accingamus, praemittendam esse duximus, a qua omnis disputatio proficisci debet, ipsam rei, quam exponimus, definitionem. Est itaque τὸ ἐπινοούμενον s. *Ius Nasi* moralitas legalis ratione Naturae a Superiore praescripta, et ad parendi necessitatem civis Reipublicae maiestate compellens. Vfus et officia *narium* passim traduntur in Scholis Physicorum; Praeit ARISTOTELES *Histor. Animal. L. I. Cap. XI. pag. 770.* CICERO *de Natura Deorum L. 2. cap. 52.* et Tullius Christianus L. CAEL. LACTANTIUS *de Opific. Dei* et multi alii, sed audire iuvat ANTONIVM DE ZARA in *Anatom. Ingen. et Scient. pag. 4.* *Nasum, inquit, ideo in editiore loco voluit Deus collocare, ut adscendentem vaporem natura igneum, facilius per interiorem narem excipiat, odorem omnium Species cerebro offerat, aërem ad Spiritus animalis generationem ducat, mucosam cerebri effluviem expurger, et faciei decorum conciliet.* Paucis: *Nasus est corporis humani Organum, quod, si quid tuto eruditis fidere licebit, processuum mammillarum ope ac beneficio varias odoris species recipit, utque ab anima percipiantur, ac discernantur, facit.* (a) *Facultas vero odorum species recipiendi et dignoscendi dicitur: Olfactus.* Nunc ea, quae diximus, ad usum Iuris accommodanda erunt, ita, ut primo *de Iure circa Nasum quoad Statum Hominis*, deinde *quoad contractus, et alia id genus negotia civilia*, post, *quoad deli-*

(a) Plures descriptiones *Nasi* exhibet, quem iam nominavimus FRANCVS in *Diff. de Naso Cap. 1. §. VI.* BAVHIN. in *Theatro Anatom. Lib. III. cap. 64. p. 455.*



delicta et torturam, et tandem quoad poenas publicas, quae sunt amputatione vel scapellatione Nasi dispiciamus.

§. III.

Est in Iure nostro haud obscura hominum diuisio, qua iustae *συμμετρίως* corporis intuitu in *perfectos* et *mutilos* dispescuntur. Ad mutilos, seu imperfectos *τὸς παρὰ τὴν φύσιν γενόμενους* referunt, quos et *naturae ludibria* et *monstra*, *prodigia*, et *phantasmata* leges adpellant, de quibus omnibus praeter eruditissimos Tituli ff. de *Verb. Sign.* interpretes ALPHONSVS Δ CARANZA, ICTus Hispanus, in docto ac laborioso Commentario de *Partu Cap. XVII. p. 624. sq.* PAVLVS ZACHIAS, Medicus Romanus, in *Quaestion. Medico-Legal. Lib. VII. Tit. I.* et alii iam dudum nobis otia fecerunt. Quanquam autem subinde accidat, vt in vno alteroue hominis membro naturae error deprehendatur, istam quidem partem monstruosam esse, neque tamen ideo totum hominem pro monstro et phantasmate habendum, clare, ni fallor, e celebratissima *L. 14. ff. de Statu Hominum* colligitur, in qua ii saltem partus liberis non accensentur, *qui contra formam humani generis conuerso more procreantur*, seu, vt alii definiunt, quibus pars substantialis corporis humani deest, quorum in numero haberi solent, qui capitis humani defectum patiuntur, *ἀνέφαλοι* vocati. Quocirca tamen *ἀπροσδοκίως* philosophari crediderim quosdam ICTorum, qui ideo defectum capitis partus monstrofi causam effinxerunt, quod blandulae animulae sedem et quasi solam metropolin in capite, eiusque excellentiore parte, cerebro puta, quaerendam esse, mordicus contendant. In quo alias negotio ad misericordiam defudarunt Cartesiani duce ipso Magistro RENATO, et iis infecutis, qui glandulam quandam pinealem, seu, quod aliud nescio *μορμολύκειον* ambitiose iactarunt.

Quod



Quod pinguium ingeniorum commentum a viris nostri se-  
culi peritioribus, qui essentiam animae curatius inuestiga-  
runt, dudum explosum fuit. Hinc si partus vel plane  
*ægēvos*, vel saltem circa *Nasum* deformis nascatur, tantum  
abest, vt pro monstro censerī debeat homo ratione sana  
dotatus, vt contra partibus simpliciter imperfectis annume-  
rari, aut si ampliore huius membri officio instructus sit, ad  
ostentorum speciem strictiore sensu referri mereatur, quic-  
quid de Pygmaeis ex *Strabone* referat CARANZA d.  
*Cap. XVII.* adscribam verba: *Quod si Pygmaeorum deli-*  
*neationem ab Strabone enarratam admittere fas esset, eos*  
*certe monstris annumerare debebamus, ait enim: eos NA-*  
*SO carere, et duo tantum spiramenta supra os habere:*  
*quod plane monstriferum est.*

## §. IV.

Horridam itaque et austeram temporis antiqui indo-  
lem! cum, quibus dulcia parentum nomina displicuissent,  
in viscera grassari ac recens editos infantes

- - - modo primos incipientes

*Edere vagitus, et adhuc de matre rubentes*

si ex quinque vicinorum consilio muti et insignes ad de-  
formitatem iudicati fuerant, nunc feris et auiibus obiicere,  
SVIDAS in: *ἐπιθῆναι* nunc misero mortis genere ad fran-  
gulatos elidere, MINVC. FELIX in *Octau. c. 30.* vel si mi-  
tiores videri vellent, quam ipsi non habebant aliorum mi-  
sericordiae exponere liceret, *L. 4. ff. de agnoscendis et*  
*alend. lib.* Pleni sunt exemplorum vtriusque linguae optimi  
auctores, plena horrendi moris volumina, nisi quod de tem-  
pore, quo primum hoc cacoëthes legibus compressum fuit,  
inter celeberrimos ætatis nostræ Duumuiros GERAR-  
DVM NOODTIVM ICtum et antecessorem Academiae  
Lugduno-Batauae, et Amplissimum CORNELIVM VAN  
BYN-



BYNCKERSHOECK, in suprema Hollandiae et Seelandiae curia Praefidem sat amice conueniri non potuit. (a) De eo autem minus ambigendum est, quod cum omnino debiles infantes, et quacunque parte corporis informes lege olim exponere permissum fuerit, ad *βυκολέρες* etiam et *nafo* mulcatos leges illas accommodarit barbara antiquitas. Nam de partu plane monstroso, atque a natura generis humani penitus alienato manifestum est, eum, uti in numero hominum haberi nequeat, ita nec status cuiusdam ciuilibis participem, eorumque omnium, quae leges ac instituta ciuilia, vel in fauorem vel coercitionem hominum constituerunt, incapacem esse. Hinc negat PAVLVS *Lib. IV. Tit. 9. §. 3. Recept. Sent.* monstrosum partum matri prodesse, ut haereditatem capiat ex SCto Tertulliano. Neque sane est, quod adeo VLPIANVM *L. 135. ff. de verb. sign.* obstreperere dicamus, cum valde durum esse quilibet animaduertat, ad euitandam orbitatis poenam flebile hoc parentibus beneficium denegari, *neque etiam id, quod fataliter accessit, matri damnum iniungere debere.* Vide interrim, si placet, quam huic legum discidio medicinam parauit CUIACIVS *ad Libr. IV. T. 9. Sentent. Pauli*, et qui Cuiacium secutus est IVLIVS PACIVS *Cent. I. Enantioph. 25.* Sed vellicauit EDM. MERILLIVS *Obseru. L. I. C. 33.* ideo, quod tum apud Paulum, tum Vlpianum quaeratur, an profit partus monstrosus ad ius liberorum, et quidem, si partus matri profit ad ius liberorum, prodest etiam ad legitimam haereditatem ex SCto Tertulliano capiendam. Praeterea in hoc Senatus Conf. magis agi de damno vitando

(a) Quae NOODTIVS de hac re conscripsit extant inter eius Opera nouissime publicata, p. 567. 591. et quae huc pertinent scripta BYNCKERSHOECKII exhibet Volum. Opusculorum *Tom. II. n. III. p. 105. et n. VII. p. 305.*



do, quam in Lege Papia, quia maius sit damnum, si non capiat mater solidam haereditatem liberorum ex SCTo Tertulliano, quam si ex Lege Papia non possit aut dimidiam haereditatis partem capere, aut decimam. At ni turbare tanti viri cineres religio vetet, magis putarem nullum inter Paulum et Ulpianum esse discidium. Siquidem Paulus L. IV. Sentent. Tit. 9. vnde L. 14. ff. de Statu Hominum est descripta, ad SCTum Tertullianum respicit, in quo maiorem *πολυπαιδεύς* rigorem obtinuisse vel ex eo patet, quod nec tergemini matri proficerent in SCTo, quod secus se habuisse in Lege Papia idem testatur PAVLVVS L. 137. ff. de Verb. Sign. Quae iuris *ἀναξίβεια* e maiori illo SCTi Tertulliani lucro profluxisse videri potest, quo mulier ingenua trium liberorum ab intestato haereditatem capiebat, cum Lege Papia orbae mulieres eorum, quae ipsis in testamento relicta erant, semisse multarentur. Quae vtcunque se habeant, communi regula §. superiori repraesentata acquiescimus, *ἑνωκολέρες* homines, cum ideo in monstra non degenerent, et iure connubiorum, et successionum, et testamentorum, aliisque iuris Ciuilis effectibus haud destitui.

## §. V.

Nunc quid Iure Feudali statuendum sit, videamus. Res omnis adhibita distinctione duplici consicienda est, vt primo Feudi *Antiqui* et *Noui*, ac deinde imperfectionis *Natiuae* ac *fortuitae* ratio seorsim habeatur. Sane quod ad successionem in *Feudo antiquo* respectu omnimodae imperfectionis attinet, *Obertus* et *Gerardus* et multi alii: *mutus*, inquit, et *surdus*, *coecus*, *claudus*, vel *aliter imperfectus totum feudum paternum retinebit* II. Feud. 36. Quo cum amice conspirat *Ius Feudale Alamann.* Cap. 63. Ein Herre mag dem Man sin Lehen nüt genemmen, noch vertziehen ob er blint ist, oder *sines* (*gewer*) *glied mangelt*, oder misel-



mißsüchtig wurt, oder was suchtagen er gewinnēt (der sich zu diesen genößet) (a) cuius verba textus ob generalem, quam inculcant, iuris regulam haud immerito de imperfectione natiua cum SCHILTERO in *comment. ad b. Cap.* explicanda esse contendimus. Atque ita quidem Iuris Feudalis antiquioris, quod Oberti et Gerardi tempore obtinuit, ac Feudalis Alamannici pulchra consensio. At variatum postea in illa sententia, nouamque priori opinionem furrogatam fuisse, ita vt qui imperfectus natus sit, *Feudum retinere non possit, quia ipsum seruire non valeat*, statim addit compilerator Iuris Longobardici *II. Feud. 36. in fin.* Neque vero dubium cuiquam videri potest, praeualuisse hanc sententiam, atque curiarum vsu adprobatam esse, quod ad illustrationem rei maiorem illico subiungat Feudista: *Sic dicimus in Clerico, et in Foemina, et in Similibus*, praecipue cum posterior iuris Feudalis sententia plerumque audiat, siquidem illa meliore ratione munita sit, docente ROSENTHALIO *Cap. X. conclus. 42. n. 39.* quam hic non deesse fat concinne more suo exposuit Dn. de BERGER in *Disqu. vtrum et quousque surdi ac muti Feudorum sint capaces §. 6.* Eandem Iuris Longobardici ac provincialis Saxonici decisionem habemus *Lib. I. Art. 4.* Wird ein Kind gebohren stumm, Sinn- oder Witz-los oder blind oder sonst unvollständig an seinen Leibe, das ist wohl Erbe zum Land-Recht aber nicht zu Leben-Recht. Sed quid de vitio superueniente dicamus? Haud obscura hic inter Longobardos, Saxones et Alamannos consensio *II. Feud. 36. pr. Ius Feud. Saxon. Cap. 30. Ius Alaman. Cap. 63.*

B 2

fortui-

(a) Verbum: *Mißsüchtig* SCHILTERVS existimat non epilepsiam, sed lepram significare, et ad veterem Iuramenti Iudaici formulam, qua dicitur: *die Mißsücht* die Naaman verlies etc. prouocat. Et vocem: *nüßen* notare idem quod: *impedire* putat.



fortuito defectu vasallum non prohiberi, nec exturbari feudo posse, cum de feudo paterno et semel adquisito quaeratur, quo sine facto et absque feloniam vasallus innocens priuari non debet. SCHILTERVS in *Comment. ad Ius Alam. cap. 63.* Namque aliud dicendum esse, si vasalli culpa accidentale vitium contigerit, haud absurde Doctores prodiderunt. Sed longe durior in Feudo nouo, ac vasalli probitate adquisito ex accidenti imperfectorum conditio per *I. Feud. 6. mutus feudum RETINERE non potest, scilicet, qui nullo modo loquitur etc.* quem Iuris Textum de Feudo nouo accipiendum e multis rerum argumentis collegit, et contra sententiam vobis erudite respondit supra excitatus BERGERVS in *Disqu. §. 2. sqq.* qui etiam §. 8. allegatae disquisit. in rationes huius Iuris alte se penetrauit, adeo vt neque cum Hotomanno perspicuam inter Textus *I. Feud. 6. §. 2. et II. Feud. 36.* repugnantiam admittere, neque Dionysii Gothofredi *Imoisimum* tanti putare necessum habeamus.

## §. VI.

Quod si igitur aliqua imperfectionis ratio de Iure Feudali habenda est, vt ex iis, quae iam disputauimus manifeste apparet, ea tamen non de aliquali, sed omnimoda imperfectione, vasalli seruitia impediende, intelligenda esse recte monet STRVVIVS *Syntagm. Iur. Feud. Cap. IX. §. 10. p. 340.* Feuda enim, si ad Originem eorum respicias, cum potissimum seruitiorum causa, siue illa sint militaria, siue curialia, moribus inualuerint, consequens est, vt ad praestationem eorum personae haud inidoneae requiri videantur. Id quod adeo verum esse putamus, vt et vasallus regulariter ipse seruire debeat, et inuito ac renitente Domino alia persona ipsius loco aut seruitiorum redemptio vix admittatur. Nam aegre probari posse contendit RHETIVS



in *Comm. in Ius Feud. L. I. Tit. 21. p. 447.* consuetudine contraria huic iuri reuera derogatum esse, nec distinguendum, nouumne an antiquum feudum sit, natura an casu defectum sibi contraxerit vasallus, si vasalli personam dominus praecise requirat. At si omnia fere seruitiorum genera excutias, quae et moribus curiarum recepta sunt, et ab interpretibus iuris feudalis late traduntur, (a) *Narium* certe vel nullas, vel rariores in iis expediendis partes deprehendes, cum et vnus bombilius et siffletus edi, et vnus saltus a *ἐνοκολέεζο* commodè saltari posse videatur. ANTON. DOMINICVS de *Praerogatiua Allodior. Cap. 16.* Nisi tamen in specie tale feudo seruitium fuerit adnexum, cui se fidelis isthoc membro mulcatus sat decore adcingere non potest, vt si solemnitatis causa stato tempore in aula domini comparere necessum habeat, et quae alia id genus ministeria, licet oppido rara, obueneri soleant. Quod si tamen officium feudi in praegustatione et illis seruitiis, quae de imperfectis ratione gustus vel odoratus expediri nequeunt, consistat, illi arcendi sunt. In qua re THOMAS CRAIGVS DE RICCARTOVN (b) testis est, cuius

B 3

verba

(a) Alii seruitia feudalia ad duo Capita reuocant, et militaria, vel non militaria, seu paganica esse dicunt STRYCK *Exam. Iur. Feud. Cap. XVIII. qu. 9.* EIVSD. *Diff. de Imman. a Seruit. Feudalibus. Cap. I §. 7.* Aliis diuisione tripartita placet, nimirum, quod sint honoraria, iudiciaria et militaria. v. SANDE *Comm. in Consuet. Gelariae Feud. Tr. II. Tit. I. c. II. n. 13.* ad priora, honoraria puto, hominem integri vultus et nasi requiri certum est.

(b) in eleganti opere, quod consuetudines Angliae et Scotiae feudales continet, et inscribitur: *Iur. Feudale, Lib. II. Tit. XVIII. §. 20.* iunge ROSENTHAL. de *Feudis Cap. VII. concl. 28. n. 13.* VVLTEIVM de *Feudis L. I. c. 9. n. 120.* (cuius nasum monstrosum effigies Tractatus de Iudiciis praenissa monstrat.)



verba apponam: *De imperfectis gustu et odoratu quaeri potest, an et hi feudum amittant? sed videtur hos feudum retinere, et in feudum succedere posse, nisi ob horum sensuum qualitatem eis fuerit concessum.* Quamquam etiam in illa specie Dominus, si sciens homini *ἑνωκόληρον* feudum concessit, conditionem seruitiorum tacite remisit, et per alium feruendi Licentiam vasallo tribuisse putandus sit. (c) Quemadmodum de Moribus Gallorum Feudalibus testatur GVILIELMVS FORNERIVS *de Feudis Cap. ult.* et EGVIN. BARO *ad Consuet. Feud. I. Feud. 6.*

## §. VII.

Transeō ad Sacrorum Mystas, qui Spartas sanctiores ornant, in quibus eligendis et animi et corporis ratio habenda. Non fert instituti ratio euagari per gentes, earumque in deligendis sacerdotibus praecepta ac mores ostendere. Graecos et Romanos sufficiat in rem vocasse. De Atheniensibus testimonium dicit auctor *Etymologici magni* in Voce: *Ἀφελής: Οἱ βασιλεῖς καὶ οἱ ἱερεῖς ἐδοκιμάζοντο, Ἀθήνηθεν εἰ ἀφελείς, καὶ ὀλέκῃροι.* Reges et Sacerdotes examinabantur Athenis, num essent sano et integro corpore? adde XENOPONTEM in *Sympos. Cleric. in Pentateuch. Leu.* Quin et Imperii Romani, aeternaeque urbis conditor Sacerdotes legi voluit, *μηδὲν ἠλαττωμένους τῶν περὶ σώμα.* DIONYS. HALICARN. *Lib. II. p. 89. edit. Oxon.* Vnde nec dubium, Metellum Pontificem cum incendio templi Vestalis inter ipsos ignes raptum Palladium incolu-me seruasset, oculosque amisisset, ipso quoque pontificatu excidisse. Qua de re apud SENECAM extat controuersia, *Metellus excoecatus, Lib. IV. Excerpt. controu. 2.* At sollicitissimi omnium mortalium Hebraei, maxime ob institutio.

(c) v. ANDR. KOHL *de Seruitiis Feud. P. I. n. 61. 65.*



rationem Legis Diuinae *Leuit. c. XXI. v. 17. 18.* Rede mit Aaron und sprich: Wenn an iemand deines Saamens in euren Geschlechtern ein Fehls ist, der soll nicht herzu treten, daß er das Brodt seines Gottes opfere. Denn keiner, an dem ein Fehls ist, soll herzu treten, er sey blind, lahmt, mit einer seltsamen Nasen. Sed vox Iudaica, quam Lutherus vertere putauit: *die seltsame Nase*, parum suboluit emunctioris naris interpretibus. (a) Equidem si ex versione LXX. Interpretum et sententia pronunciandum esset, illa vox idem denotaret ac, quod Graecis est: *ναλοβοσσην naso mutilus*, siue *truncatus*. Inde male consulti Iudaeorum Magistri plurima in *Naso* vitia curiose effinxerunt, quibus prohiberi homines a sacro ministerio contendebant, (b) sed cum primo nulla *Nasi* vel icuncula in radice vocis Hebraicae occurrat, deinde Paraphrastes Chaldaicus *diminutum* simpliciter reddat, quem Samaritanus sequitur, denique apud Arabes eadem vox amputandi et truncandi significationem obtineat, facile IOANNI CLERICO  
in

(a) VERS. VULG reddidit: *naso paruo vel grandi*. RABBI DAVID: *qui habet nasum profundum, inter duos oculos*. RABBI SALOMON: *Simum*. Alii: *qui habet nasum praeter commuam modum repandum, resinum, intortum, breuium etc.*

(b) Vitia erant CXLII, et quidem trium Ordinum. *Primi ordinis* ea dicebantur, quae tam sacerdotes, quam animalia vitia- bant, numero 50. nimirum in Oculo IX. in Nare III. in ore VI. in vasis feminariis XII. etc. *Secundi Ordinis*: quae vitia- bant hominem tantum, erant 90. in Capite VIII. in Aure IV. in Ocu- lis XI. in *Naso* VI. in vasis feminariis IV. etc. *Tertii generis*: quae non vitia- bant aliam ob causam, quam quod intuenti deformitate displicerent, bina tantum faciebant, nimirum pilorum in palpebris defectus, et dentes excussi. v LVNDIVM im Jüdischen-Heiligth. L. III. c. 27. SELDENVM de Success. in Pontif. L. II. c. 5.



in *Comment. ad hunc locum*, iisque omnibus fidem habemus, qui hanc vocem latius accipiendam ac de cuiusvis membri mulcatione vel tortuositate exponendam esse putant. Sed demus etiam illorum sententiae, qui contra statuant, atque de mutilatione *Nasi* in specie explicari textum patiamur. Num quid exinde argumenti ducere licebit, eos, qui aliquali *δουμμετρίᾳ Nasi* laborant, qui *Nasum* vel grypum, simum, vel aliter affectum habent, ideo a sacerdotio arcendos, et a facris muniis obeundis propellendos esse? Non sic putarim. Primo enim manifestum est, fuisse hoc sapientissimi legislatoris institutum, e numero Legum ritualium, atque adeo *σικῶν καὶ τύπων τῶν μελλόντων*, quae praeter Iudaeos in veteri Testamento obligabant neminem. Iam cum optimus Seruator sepimentum perurperit, quo distinebamur, dubium non est, euanuisse umbram, et typum, antitypo praesente sanctissimo IESV. Hinc tantum non omnes veteris Ecclesiae patres τὸν τῆ νόμῳ τέτῳ αἰφρατισμὸν ac reparatae salutis tempora considerantes metaphoricum huic Legi sensum accommodarunt. (c) Imo nec minoris ponderis videri possent *Canones Apostolorum*, si, quam Pontificii praetendunt, et in Anglia GVILIELMVS WHISTONVS temerario ausu affirmare non erubuit, fidem et auctoritatem mererentur. Ita enim *Canon LXXVI. Si quis oculo defectus, aut obruso crure existat, et dignus sit, episcopus efficitur*, addita ratione: quia

(c) Ita GREGORIVS MAGNVS *Past. Curae P. I. C. XI. Cascus est, qui supremae contemplationis lumen ignorat etc. Parvo NASO, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est, quia Naso foetores odoresque discernimus. NASVS grandis et tortus est discretionis subtilitas immoderata, quae dum plus, quam decet, excreuerit, actionis suae rectitudinem ipsa confundit etc.* Huic iungendi BASILIVS, THEODORETVS, alii.



non mutilatio Corporis ipsum polluit, sed inquinatio animae. Verbo, sufficit ex mente Canonum, *sacrorum administrationem non impediri*. Et testatur de sui temporis consuetudine IOANNES ZONARAS Monachus in *Comm. ad Canon. Apostol. LXXVI. et LXXVIII.* Corporis vitia Candidatos sacerdotio haud facile prohibuisse.

§. VIII.

Ad ineptias comparata sunt, quae de sacerdotibus iniuriandis Pontificale Romanum tradit, quod nisi *palpata, considerata, et tota numerata eorum facie, oculis, auribus, NARIBVS, manibus et digitis eorum, ac pedibus, si opus fuerit, discalceatis, ni forte sint lignei etc.* candidatos admitti prohibet. Ac si vero de tentanda sanitate mancipii, aut pileatis feruis ageretur, quorum nomine a mangonibus nihil promissum ex Antiquitate Romana nouimus. Et quotusquisque non videt, esse haec commenta inter artes sedis Apostolicae auriferas numeranda, quibus dum per indulgentiam tales maculas dispensat, miserorum sacciperia turpiter expilat. Solum autem Pontificem Romanum sacrorum Candidatis gratiam illius rei concedere, ut ad sacros ordines idonei euadant praeclare docet lucidum olim Academiae Altdorfinae fidus IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS *Dissert. de Corpore Vitiatas ordinandis §. 18.* Sed quis apud nos, nisi forte oblimatae *Naris* homo, tantam, et tam salutarem vim inesse Praefuli Romano crediderit, ut vel sola adfensione, et voluntate corporis humani vitia vel tollere, vel mutare possit? quanquam Reges Galliae ut primum inaugurati sunt, scrofulas sanare posse tradantur. (a) Itaque si quid apud nos eius rei sollicitudinis

(a) Hanc rem ANDREAS LAVRENTIVS singulari libello de *mirabili strumas sanandi vi solis Galliae Regibus diuinitus*



nis obuerferetur, illud quidem, vnice eo rediturum existimem, num isthoc sacerdotes vitio conspicui in sacrarum rerum administratione impediuntur, iique suo coetui scandalo, aut nauseae existant. Caeteroquin parum interesse persuasi sumus, num quis paruo aut grandiore solito olfactus Organo instructus ministerio rei sacrae praeficiatur, nisi tamen plane sit *ἀσββος*, quo casu, vt *ἐσχημοσύνης* ratio habeatur, negantium sententiae adstipulamur, memores illius, quod est apud HIERONYMVM in *Cap. I. Malach. Indignum est dare Deo, quod dedignatur homo*, (b) cum saltem ex aspectu non parum periculi grauidis immineat in actu ministeriali.

## §. IX.

Nescio an huc pertineat, quae de signis virginitatis in puella, et pubertatis in puero medicorum scripta referunt, et, si vera, *naso* suffragante patefcunt. Inter alia enim corruptae virginitatis inuestigandae remedia non solum suffitus lapidis Gagatis laudatur, sed ex *narium* etiam pinnis, siue epistomiis incorrupti pudoris signa cognosci posse dicitur, quae pars *Nasi* in virgine incorrupta auctior et magis acuminata, in corrupta vero magis patula conspicitur. Ex tactu quoque solo globuli seu orbiculi *nasi*, quam pilulam alii vocant, idem iudicari posse autor est *Michael Scotus*,

*nitus concessa* sat superstitiose persecutus. adde ZENTGRAVII Dissert. de *Tactu Regis Franciae*.

(b) v. OSIANDER *ad Leuit. cap. XXI. BRUNNEM. In Eccl. Lib. I. cap. 3. §. 12. ZIEGLERVS de Episcopis Lib. II. cap. IV. §. 23.* Hinc etiam LIMNAEVS, vbi quaestionem mouet, an Hermaphroditus in Imperatorem eligi possit, negatiuam ratione addita tuctur: quem naturaludibrio habuit, eum eligi non deberi, quia a subditis nihil aliud, quam ludibrium expectari possit. *Lib. II. cap. II. n. 50.*



rus, quem citat GASPARVS A REIES (a) *Virgo, inquit, in tactu pilulae NASI dignoscitur, quia cartilago est solida, et cum est semel corrupta sentitur partibilis, ita ut tactu digiti quasi fundi videatur.* Alii collum virginis suspectae circumdato filo mensurare sciunt, et si illum ab extremo *Nasi* ad Coronalis futurae medium et finem sagittalis per Glabellum et frontem mediam extensum, collum deinde eiusdem puellae intra se comprehendere possint, virginem esse iudicant. (b) Sed infallibilia haec, vereor, ut sint signa, potius RANCHINO (c) assentimur, qui post illorum Phaenomenorum, quae signa virginis vulgo credunt, examen, tandem concludit: Iudicium omniae de virginitate dubium esse ac difficile. Quod ad pubertatem cognoscendam, *naribus* eam explorari posse, et Graueolentiam quoad *nares*, pubertatis signum in pueris, ad virilitatem accedentibus obseruant medici, eosque *hirquillitare* vel porius *hirquitallire* asserunt, ipsos autem *hirquitillos* appellant, ita enim CENSORINVS (d) *vocem crassiorem et inaequabilem feri, Aristoteles appellat: τερρῆζεν, antiqui nostri: HIROVITALLIRE, et inde ipsos putant HIRQVITALLOS appellari, quod tum corpus hircum olere incipiat*, alii tamen non a graueolentia, sed a libidine hircorum sic dictos putant cum GRONOVIO (e).

## §. X.

Vis ac facultas, qua subministrante *Narium* officio exhalatos rerum odoriferarum spiritus percipimus, dicitur

C 2

olfa-

- (a) *in Campo Elyso iucund. Quaest. 39. n. 6.*  
 (b) SEVER. PINAEVS *de Notis Virgin. Lib. I. cap. 5.*  
 (c) *in Tr. de Morbis Virgin. Sect. I. cap. 3. 4.*  
 (d) *de Die natali cap. XIV.*  
 (e) *Observ. in Eccles. VIII. pag. 84. adde DN. PLATNERVM de Morbis ex immunditiis §. XV. lit. (p.)*



olfactus v. §. II. de cuius admirabili virtute disputare amplius nolo, ne qui forte regundorum finium iudicio contra me Aesculapiada experiantur. Id nunc operam nauabo vnice, vt quid ratione huius organi circa συναλλάγματα seu contractus, et alia id genus negotia recti prauique geratur expeditisse videar. Equidem iam olim id sibi negotii sumserat STRYCKIUS ὁ πᾶσι *Dissertat. V. de Iure Sensuum*. Neque tamen adeo omnem occupasse fundum cenferi debet Celeberrimi ICTi industria, vt statim nunciandum nobis sit nouum Opus. si et nos contra quid moliamur, et quaedam non aliena a scopo nostro breuiter excutiamus. Itomni- no longa, neque tamen ideo insuauis per Doctorum Scho- las de Emtione ac Venditione ad gustum fabula. Quorum nonnulli liberalius se inuitari gustu patiuntur neque semper intra sobrietatem Sabinorum veterum consistunt, vt quan- doque illud Comici:

*Pitissando modo mihi quid vini absunxit?*

locum habere videatur; At quo minus litem eorum no- stram faciamus, iuuat ire in rem praesentem, et quam in Em- tione ac Venditione ad Olfactum philosophiam profiteamur, exponere.

§. XI.

Emtione venditione perfecta, ac re corporali pure ven- dita, etsi nondum tradita, commodum ac periculum rei ven- ditae ἐν ἀρτίῳ transire ad emtorem alta ICTorum; est consen- sio ob L. 8. ff. de Per. et Com. rei vend. periculum autem Ca- sum fortuitum, vim maiorem, Θεῶν βλαβὴ Graeci appellant, L. 25. §. 6. ff. Locati Conducti, vim tempestatis calamitosae, L. 15. §. 2. ff. eod. maioris impetus infortunium atque dis- pendium, vt passim in codice Theodosiano, hic denotare, adeoque dolo et culpa detinentis opponi illud quidem tralatitium est, et multi ante nos occuparunt. At quae  
Roma-



Romani Iuris ratio, vt cum ante traditionem venditor alienatae rei dominus permaneat, ac suo res perire Domino perhibeatur *L. 9. C. de Pign. Act.* nihilominus rei alienatae etsi nondum traditae, periculum ad emtorem transeat, pauci mehercle, perspexerunt. Forte quod omne commodum, fructus et accessiones emtione perfecta ad emtorem perueniant? At de eiusdem iuris ratione quaeritur. Aut quia venditor rem alienatam animo iam abdicauit, atque eam inuitus tenere creditur? et cur inuitus rem detinere credatur, quum in securitatem pretii nondum soluti res a venditoribus seruari soleant? Aut quia denique emtor sibi imputet, quod res vendita citius ad se non transeat? Neque etiam hoc facile admiserim. HVGO GROTIUS *L. II. 12. 5. de Iure Belli et Pac.* inclementi Commentorum iuris Ciuilib nomine hanc ICTorum veterum philosophiam transduxit. BRVNNEMANNVS cum CVIACIO summum hic iuris rigorem agnoscunt. Restat, vt dicamus, non sat constare sibi Iurisprudentiam Romanam, dum ad eum, qui ciuile rei dominium nondum consecutus est, periculum aequae ac commodum pertinere voluerit. Sed, quae summa est in illo Iure, Sapiencia haud permittit, vt omni prorsus ratione Legem Romanam destitui existimemus. Certe quum PAVLVVS *L. 8. pr. ff. h. Tit.* perfecta demum emtione sciri posse contendat, cuius sit periculum, perfectam autem emtionem non a rei traditione, sed consensu et declarata voluntate contrahentium arcessendam esse vel dupondii rite calleant, facile ad suspicandum erit, naturale rei dominium, aut saltem ius praestantius, quam quod habet venditor, ad emtorem transmitti veteres recte iudicasse. (a) Accedit non simplicem rei

C 3

domi-

(a) conf. Viri Excell. DREWERI *Diss. de Aequitate Legum Romanarum circa periculum rei venditae §. 13.*



dominum manere venditorem, sed pro Debitore quoque rei singularis habendum, quem re debita, sine culpa perempta liberari aliunde constat. *L. 5. ff. de Reb. Cred. L. 23. ff. de V. O.* Neque etiam soli Domino res sua perire censenda, sed ei quoque, qui actionem ad illam petendam habet. *L. 15. ff. de Reg. Iur. (b)*

## §. XII.

Nunc videamus, quid in emtione rerum odoriferarum, aromatum, balsami, vnguentorum, olei etc. obtineat, et qua demum ratione periculum hic praestetur. Quae res plerumque ita comparatae sunt, ut de illarum bonitate et vitio aliter constare vix possit, nisi prius olfactu praeuio discernantur. Atque inde nimirum prono alueo consequitur, re ad olfactum vendita haud secus, atque re ad gustum alienata exceptionem a superiori regula hic admittendam, atque omne rei venditae periculum, utpote nondum perfecta emtione, ad venditorem pertinere, nisi aliud conuenierit. Equidem hanc doctrinam STRYCKIUS interstrepit *Differ. VI. de Iure Sens. cap. 1. n. 9. sqq.* ob *L. Si quis vina 4. §. Si aduersione. 1. ff. de Pericul. et Comm. rei Vend.* At si usquam alibi, certe hic videtur Vir Celeberrimus parum fauente, ne dicam inuita, Delia venari. Perfectam demum ratione periculi emtionem esse ait PAVLVS *L. 8. ff. b. t. Si id quod venierit, appareat, quid, QVALE, quantum sit.* Euge itaque fodes, dic quale sit balsamum, moschus, ambra et sexaginta *narium* deliciae, dic, ni olfeceris. Neque vero expressa hic conuentione opus, sed tacita emtioni rerum ad olfactum conditio inest, ut olfactui prius subiciantur, qui si nondum accesserit, venditor eatenus periculum sustinebit. Atque ita quidem e natura Contractus

circa

(b) adde Viri Ampl. EV. OTTONIS *Comm. ad Instit. p. 449.*



circa res eas, quarum valor a gustu vel olfactu dependet. At cum sciamus naturam contractus posse immutari conventionione contrahentium, quodque contractus suas ex Conventionione leges accipiant, *L. 23. ff. de R. I.* nulla vetat ratio, quo minus etiam circa periculum rei ad Olfactum venditae eodem iure utamur. Aut itaque in Emptione rerum odoriferarum convenit, ut balsama et unguenta olfactu prius adprobari liceat, aut non convenit. Sin prius, aut in diem certum aut in incertum placuit. Si in diem certum, venditor eatenus periculum sustinebit, si in diem incertum, sane usque ad olfactum ab emptore praescriptum venditoris periculum manebit. *arg. L. 1. pr. ff. de Peric. et Comm. rei vend.* Quod si vero ita convenierit, ut ne olfactu res adprobetur, sane bonitatem internam venditor haud praestabit, sed periculum ad emptorem pertinere censebitur. Quae ratione accipiendam putem *L. 4. §. 1. ff. h. t. Si non ita vitum venit, ut degustaretur*; quae non de nuda conditionis omissione, ut vult STRYCKIUS, sed de expressa conventionionis lege, *ut ne degustetur* interpretanda esse, ex verbis VLPIANI sequentibus apparet: difficile autem est, ut quisquam sic emat, *UT NE DEGUSTET*, id est, expressa conventionione adiecta, quae tacitam conditionem sustollat, *UT NE DEGUSTET*. Mentem Vlpiani pulchre adsecutus est interpres Graecus: *δορυγεῖος δι τῆς ἀρωματικῆς* EPI TO MH ΓΕΥΣΑΘΑΙ ΣΤΝΟΥΣ ΒΑΣΙΑ. *L. 53. Tit. 17. c. 10.* Sed quid de Periculo Substantiae dicamus? Certe quum res odoriferae eius sint conditionis, ut pondere et mensura constent, non aliter perfecta videri poterit venditio, quam si adpensi et admensurati fuerint, atque adeo substantiae periculum ad venditorem spectabit, per *L. 35. §. 5. ff. de Contrah. Emr.* Aliud dicendum, si res odoriferae per avertionem, *ἐν νότῳ* Graeci dicerent, diuendantur, ubi statim perfe-



perfecta emtio intelligitur, atque omne ad emtorem periculum redundat per *d. L. 35. §. 5. ff. de Contrab. Emi.*

## §. XIII.

Si de Olfactu rei oderiferæ testimonium dicendum, aequè ac de rebus visu, tactu, et auditu perceptis sensuum Iudicio statur. Testis enim sine ratione loquens intelligitur loqui ut pecus non ut homo, per ea, quæ tradit ALEXAND. L. VI. *Conf. 150. n. 1.* SERAPHIN. DE SERAPHINIS *de Priuileg. Iuram. Priu. 33. n. 211.* Ratio vero per illum sensum Corporis reddenda, quo res, qua de agitur, percipitur. Hinc expediti Iuris esse crediderim, quoties de vino, balsamo, vnguento, tabaco sternutatorio aliisque rebus odoriferis in Commercio venientibus, testis depositio attenditur, toties *narium* discrimini fidem haud denegandam. Quamquam enim rerum odoriferarum ea deprehendi soleat varietas, ac sæpe fluidi inde emanantis odor adeo subtilis sit, ut vel emunctissimæ naris homines quandoque a veritate aberrant, illud tamen omne tanti haud est, ut testi de vitio aut bonitate rei oderiferæ deponenti non assentiamus, præsertim si veritas rei aliter haberi non possit, id quod forensi obseruantia confirmant Iure Consulto non infimi subsellii (a) Notario Publico etiam de odore cuiusdam rei instrumentum conficiendi fides habenda, licet ipse non olfecerit, sed relatione testium nitatur, per *Textum Ordin. Notar. Imp. Maximiliani de An. 1512. §. 12.* *Die Notarien sollen ic. ibi: Der Notarius soll sich auch hüten, daß er nichts, als so er mit leiblichen Sinnen vermereket, in sein protocoll auffschreibe, oder Instrument darüber mache, oder in denselben Sinnen ist ein Unterscheid zu machen.* Dent

(a) CAMILLVS BORELLVS *Decis. Tom. II. Tit. 13. n. 15. sequ.*  
PROSP. FARINACTVS *d. Testib. Tit. VII. cap. VI. n. 151.*



Denn der Gesicht und Gehöhr halben ist gnung, daß der Notarius in Beywesen der Zeugen sehe, und höhre; aber der andern Sinnen halber, als mit versuchen, kosten, tasten, riechen u. ist noth, daß diejenigen vor kosten u. riechen, und was sie durch solch ihr Sinnen empfahen vor den Partheyen, Zeugen und Notarien eröffnen; denn von diesen und nicht von seinen eigenen u. Geruch mag ein Notarius kräftiglich bezeugen. quae omnia late persecutus est STRYCKIVS (b). Testem vero odoratus sensu destitutum vel denasatum haud admittendum esse ad hoc testimonium putauerim, maxime si morbus gallicus, vel delictum vitio causam dederit.

§. XIV.

Sponsalia hoc cum reliqua pactorum familia commune habent, vt fidei semel datae non nisi grauissimis ex causis, et quae essentialibus pacti initi contrariantur, iterum renunciare licitum sit. Eas vero inter causas, quae sponsalia legitime contracta dissoluere possunt, refertur in c. 25. X. de iureiur. Si altera pars ex desponsatis NASVM vel plane amiserit, vel quicquam ei turpius euenerit, non ductammittere, vir non tenetur, id quod LANCELLOTVS in Instit. L. II. Tit. 10. §. 25. repetit: *Item si sponsus aut sponsa NASVM vel oculos amittat ad consummandam maritalem copulam compelli non debent.* Horrorem enim atque nauseam mouet vultus mutilatis naribus deformatus, et coniunctioni corporum, qui finis primarius matrimonii, impedimento est, quae non nisi cum periculo partus monstruosi fieri potest. (a) Exemplum studiosi cuiusdam fingit

(b) in alleg. Tr. de iure sensuum in Prooemio n. 23. sqq. et in Cap. V. et VI. vbi de olfactu et gustu eiusque probatione agit.

(a) cap. fin. X. de Coniugio Lepros. MEVIUS P. IV. Decis. 43. n. 3.



git GEORGIUS BARSCHAMP in Libro, qui *Radix Clausularum* inscribitur, *cap. IV. §. 2. n. 25.* et repudio locum esse aliorum autoritate asserit. In *sponsalibus*, inquit, *si studiosus desponsatus promittat matrimonium quando ex Italia venerit, et ibi NASVS ipsi fuerit abscissus, desponsatam ad nubendum ei compelli non debere, nonnulli concludunt. arg. C. fin. X. de Coniug. Lepros.* Cumque solam hanc deformitatem sufficere existiment Doctores, ne quidem discrimen, an NASVS ob poenam, morbum, vel casu truncatus sit, addunt. vid. SCHRADERVS, (b) NICOLAI, (c) CARPZOVIUS. (d) Imo quod magis est, etiam sponsalia iurata abscissione NASI dissolui argumento *c. 25. X. de Iureiurando* Canonistae (e) asserunt, licet, si dicendum sit, quod res est, Textus hic iuris canonici decisionem expressam haud contineat. Illud autem ZACHIAS (f) mouet dubium, an NASO opere Chirurgorum recuperato, sponsalia iam dissoluta redintegranda sint, cum impedimentum turpitudinis cesset, quod in iuratis sponsalibus affirmat, sed hanc sententiam *L. VIII. Tit. I. qu. VIII. n. 5. 6.* mutat eo in casu saltem, vbi nasus in bello ab hoste, vel per vim externam praecisus, aut alio modo citra culpam deperditus, verum idem autor, parum sibi constans et ab hac opinione recedit *Lib. IX. Tit. 10. Q. V. n. 9.* ob notabilem status mutationem. Idem de NARIBVS VLCEROSIS et PVSTVLATIS desponsatorum affirmare licebit, tum quod vlcera

narium

(b) in *Tr. de Causis Fori Ecclesiastici cap. I. §. 69.*

(c) *Tr. de Repudiis et Diuortijs cap. II. n. 119. 122.*

(d) in *Iurispr. Eccles. L. II Tit. 10. def. 181.* et BEYERVS in *additionibus ad hanc definit.* rescriptum exhibet, vbi ob foetorem halitus et vulnus, seu malum haereditarium sponsalia dissoluta.

(e) SANCHEZ *de Matrim. L. I. Disp. 57. n. 1.*

(f) in *Quaest. med. Leg. Lib. V. Tit. III. qu. IV.*



narium plerumque sint contracti morbi contagiosi et scabiei gallicae signa, tum ob stillicidium materiae saniofae per NARES cum foetore, quod non a propinquis, nedum ab uxore absque stomacho tolerari potest, idque ut plurimum partis narium prominentis casus sequitur. TEICHMEYER *Inst. Med. Leg. cap. XVIII. p. 151.* ZACHIAS *l.c.* Sed ad NARES HVMENTES, EXCRESCENTES, guttis rosaceis, quas Galli, un nez de Betterave appellant, ORNATAS et alias omnes, quas auerfari solemus, haud extendenda sunt, licet vbique sponfae magis habenda ratio, cui

*formosa facies: dotis dimidium vocant*

*Isti, qui dotes negligunt uxorias.*

et Iudex Ecclesiasticus quoque officii sui obseruantissimus reconciliationem animorum, si vlla ratione effici queat, potius quam coactum Thalamum, parabit. (g) Consummato vero matrimonio, vitium NASI quodcunque, etiam superueniens, diuortii causa legitima esse nequit, cum aequo potius animo casum fortuitum ferre coniuges debeant. *Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem viri participem esse?* in causa furentis coniugis VLPIANVS monet *L. XXII. §. 7. ff. Solutio matrim.*

§. XV.

In Iudiciis et Dicasteriis quoque NASI habetur ratio. Desiderant enim in Iudice, pro Tribunali sedente, faciem ad grauitatem compositam, et vultum maiestaticum, quem Physiognomici in membrorum proportionem quaerunt, ita ut manus faciem magnitudine, index frontem longitudine, primum auriscalpii membrum oculos latitudine, NASVS

D 2

deni-

(g) CASP. ZIEGLERVS *ad Lancell. Inst. L. II. T. X. §. 25.* CHR. THOMASIVS *ad Eund. locum n. 232.*



denique os altitudine exaequet, et Aristoteles NASVM περιφερῆ teretem rotundum, ἄκρον μὲν ἀμβλείαν δὲ sublimem quidem et editum, sed tamen obtusum; γεωπῆν item, seu aquilinum (a) deposcit. In *Commissario, Consiliario, et Senatore* eundem *nasum* aquilinum, qualis Imperatori *Carolo V.* (b) et *M. Agrippae* (c) fuit, requirunt, crassum et contortum non admittunt alii, (d) Sane illum qui Confulis, aut Praetoris munere fungitur, et alio, quam hi exigunt, olfactus organo, aut membro deformi faciei laborat, remouendum esse nemo dixerit, cui vero

- - - *berculea turpatus gymnade* NASVS

eum et ciuibus et cauffidicis ludibrio futurum, et de Curia Senatoria et Praetorio decedere posse putauerim. Eam vero quaestionem longi subfellii iudicabunt, qui picam NASI habent, An praetor eo tempore, quo actus iudicialis peragitur, puluerem sternutatorium naribus admouere possit? Adnectam verba, quibus IOHANNES HENRICVS COHAVSEN (e) hunc morem false perstringit: *Nicotiana non fugit fasces Consulares, non superba clamosi iurgia patroni exhorrescit. Bassus licet sedeat in alto tribunali, et iura dicat partibus, capit tabacum; et ieiunus capit et comedens; ambulans capit et sedens: capit et cacans. Semper in promptu est. Sed qui emunctae naris esse potest, qui semper eam habet oppletam tabaco? Vereor, ne plures naribus*

(a) IOH. GEORG. ARNOLD *de vultu maiestatico* §. IX.

(b) v. LVNIGH *Theatrum cerem.* P. I. p. 238.

(c) v. V. C. GEBAVERI *Dissert. de Agrippa.*

(d) RVTG. RVLANT. in *Tr. de Commissariis* L. I. cap. XI. n. 20. FELWINGER *de Consil. et Senat.* §. II. p. 18. CERIOL. *de offic. Consil.* p. 201. GRIMAL. *de optimo senatore* p. 76.

(e) in *Dissertatione satyrica elegantia, de Picca Nasi siue Tabaci sternutatorii moderni abusu et noxa* Part. I. §. 4.



vibus nimium perpetuo obstructis odorem veritatis capient.  
*Thrasimachus apud Platonem Socrati optat nutricem, quae  
 nares emungat. Nolim quibusdam Iudicibus et causarum  
 arbitris tales aptare nutrices, ne iis stuporem videar obii-  
 cere, quod eo pulvere abutantur; optarim tamen sic eodem  
 defaecari illis cerebrum, ut in peruestiganda rerum varie-  
 tate et veritate longe essent sagaciores. Ad haec cum  
 VLPIANO in L. 6. §. 3. ff. de Offic. Pro-Cons. quid sentiamus,  
 respondemus: vetus prouerbium est: ἔτε πάντα, ἔτε πάν-  
 τε, ἔτε παρὰ πάντων.*

§. XVI.

In Dicafteriis denique an cooprandus sit DE-  
 NASATVS, quaeritur. Casus aliquando contigit  
 cum in ordinem recipendus ille, qui spem pro-  
 ximam, et ius quaesitum habebat, desideraret mulcatus Na-  
 so. Sed cum ex testimonio Chirurghi illum Lue venerea la-  
 borasse constaret, Collegium ad Principem rem referebat  
 hoc modo: Alldieweil aber gleichwohl N. oben angeführ-  
 ter maßen mit einer so häßlichen Kranckheit dergestalt be-  
 häfftet gewesen, daß er darüber die Nase größten theils ein-  
 gebüset, davon eine sehr üble Gestalt bekommen und  
 um ihn zu seyn höchstgefährlich, bevoraus do, wenn  
 er gleich vortezo reine solte befunden werden, man nicht ver-  
 sichert, ob nicht, wie bey dieser Kranckheit sehr gewöhn-  
 lich, ein recidiv zu gewarten, und gleichwohl um einer Per-  
 son willen ein ganzes Collegium weder in Gefahr zu setzen  
 noch an seinen Estim, welcher daß er ungeschmälet bleibe,  
 das Aufnehmen der hiesigen = = und folglich zugleich  
 Ew. Rdn. Maj. eigenes allerhöchstes Interesse erfordert, zu  
 kräncken; hierüber in Betrachtung dessen allen besagter Kir-  
 chen-Rath in Ew. Rdnigl. Maj. Nahmen ihn N. praevia  
 D 3 causae



causae cognitione vor untüchtig und unfähig decessive  
 declariret ic. et annuebat clementissime Potentissimus vi  
 rescripti huius tenoris: Wenn Wir denn daraus so viel  
 befinden, daß bey denen mit angeführten Umständen ihr  
 mit der reception gedachten N. in - - nicht unbil-  
 lig zu verschonen, Als ic.

## §. XVII.

Haec de *naribus* earumque iure, quantum ad causas  
*Ciuiles* attinet. Superest, excutiamus, quae circa delicta et  
 torturam, poenasque amputationis et scapellationis notari  
 merentur, nec pauca aut tralatitia sunt, quae hanc in rem  
 congesimus. Sed haec omnia capita typis exscribi prohibent  
 feriae, quae iam instant, natalitiae, et strepitus incolarum pu-  
 blicus. Necessitate inde coacti, quae rubrum Dissertationis  
 promittit, reliqua post nundias peculiari specimine po-  
 steriori discutere pollicemur.

## COROLLARIA.

## I.

*Immensus aduocatorum nume-  
 rus litibus et multiplicandis et fo-  
 uendis magnum addit incrementum  
 atque robur, et pauciora fori nego-  
 tia fore credendum est, si in nullius  
 merce-*



*mercedem tueantur. ZIEGL. Rabul.  
c. II. §. 6. Idem quoque de iis, qui  
ab actis iudicialibus sunt, dicendum  
est.*

II.

*Aduocato, qui in causa iniusta  
patrocinium praestitit, honorarium  
non debetur, nec pro opera, ad li-  
tem protrahendam solum clienti com-  
modata.*

III.

*In causis iniuriarum, ubi a ci-  
tatione ad superiorem prouocatur, ef-  
fectus suspensiuus an locum habeat,  
vel non, disceptatur. Vtrumque de-  
fendi potest, cum expressa Legis dis-  
positione careamus.*







Leipzig, Diss; 1734




f  
Sb,

VD 18









B.I.G.

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

Farbkarte #13

1734,16<sup>a</sup>

IVRIDICA PRIOR  
DE

NARIVM  
AMPVTATIONIS  
LATIONIS NASI,

149

ESIDE

ENRICO MYLIO,

VINC. SVPR. ET FACVLT.

S. ASSESSORE,

E OPTIMO,

PRO

TORIS IN IVRE

INENDO

PVTABIT

ENRICVS MYLIVS,

SIENSIS,

CEMBR. M DCCXXXIV.

L. Q. C.

SIAE

ISTIANI LANGENHEMIL.

*Tit. G. D. Klau*